

Constituit [11:] ipse Christus discrimem inter suum corpus resuscitatum et naturam spiritualem per allegationem proprietatum corporis. „Circumfero“, inquit, „massam, quae potest contrectari et videri“.¹⁹ Ergo ea non est spiritualis, sed corporea. Et extant multa similia dicta: „Surrexit. Non est hic; praecedet vos in Galilaeam“²⁰ Transfertur ab vno loco in alium neque simul est in pluribus locis. Et articulus symboli, qui, vt optime docuit noster Philippus, intelligendus est vt sonat litera,²¹ narrat eum physica et corporali locatione sublatum esse in coelum, hoc est in eum locum coelestem, quem Paulus nominat sursum, quando inquit: „Quaerite ea, quae sursum sunt, vbi est Christus“²² „Veniet etiam sicut viderunt eum ascendentem.“²³ Et, vt in historia resurrectionis significatum est, habebit stigmata vulnerum, habebit alios stantes ad dextram, alios ad sinistram. Deinde norunt omnes, qui periti sunt antiquitatis, quam acriter ecclesia vetus hunc articulum de veritate naturae humanae in Christo propugnauerit. Memoria digna est epistola Ignatij ad Smyrnaeos, qui affirmant sese Christum vidisse ascendentem ἐν σαρκὶ καὶ πιστεύειν ἐν σαρκὶ ὄντα οὐ δοκῆσει ἢ φαντασίᾳ, ἀλλ’ ἀληθῶς,²⁴ hoc est Christo adhuc veram et corpoream carnem circumdatam, non carnem ex opinione aut imaginatione confictam et expresse ponunt hanc opinionem veteres: „Christum corporali locatione in vno loco esse vbicunque vult“²⁵ sicut optimus noster Philippus allegat illustre dictum Athanasij, qui dicit, λόγον non esse alligatum corpori, sed esse et in corpore et extra corpus.²⁶ Ita Augustinus et alii recte definierunt corpus Christi esse in coelo secundum veri corporis modum. Item corpus domini, in quo resurrexit, in vno loco esse oportet. Damnant vero hanc phrasin: „Caro Christi omnia replet.“²⁷

25 Ipsi etiam theologi scholastici saltem saniores et celebriores, etsi multa ausi sunt, tamen nunquam pronunciarunt, corpus Christi in pluribus esse locis, sed ea forma sermonis vtuntur, vt dicant: „Christus totus est vbique, sed non totum.“²⁸ De glorificatione etiam corporum beatorum sermo diuinus non obscure loquitur. Ait Paulus ea primum esse incorruptibilia.²⁹ Causae igitur

30 corruptionis, [12:] quae proximae sunt a duabus potentiis a nutriente et gene-

¹⁹ Vgl. Lk 24,36–43.

²⁰ Lk 24,6.

²¹ Vgl. die Auslegung von Kol 3,1 durch Philipp Melanchthon, Enarratio epistulae Pauli ad Colossenses (1559), in: CR 15, 1271.

²² Kol 3,1.

²³ Act 1,11.

²⁴ Ps.-Ignatius, Ad Philippenses III, 1, in: PG 5, 924 (Funk/Diekamp, 148, 1f).

²⁵ Vgl. Philipp Melanchthon, Enarratio epistulae Pauli ad Colossenses (1559), in: CR 15, 1271.

²⁶ Vgl. Athanasius, Oratio de incarnatione Verbi XVII, 1, in: PG 25, 125 (SC 199, 324,1–5).

²⁷ Vgl. Augustin, Epistula CLXXXVII. De praesentia Dei liber 10, in: PL 33, 836 (CSEL 57, 89, 13–17).

²⁸ Vgl. etwa Petrus Lombardus, Sententiae. Liber tertius. Distinctio XXII, 3,1, Grottaferrata (Romae) 1981 (SpicBon 5/2), 139,13–15.

²⁹ Vgl. I Kor 15,42.